Viro
Praecellentissimo, Doctissimoque
IO. FRA. IMMAN. WALCHIO,
Artium Magistro dignissimo,
Amico et Fautori certissimo
S. P. D.
M. Io. Gottf. Biderman. R. S. F.

Te cum optimo Fratre saluum atque incolumem ad penates patrios rediisse ex terris peregrinis, magnopere gaudeo, eoque nomine et reip. litterariae gratulor, quae ex doctrinae Tuae penu maximam expectat et praesentissimam accessionem, et Summe Ven. Tuo Parenti gratulor, qui in Te nomen meritaque sua etiam post fata celebratum iri videt; et mihi gratulor, qui nominis Walchiani obseruantissimus, Tuam amicitiam tanto studio amplector, quanta obseruantia Tuas uirtutes colo.

Quae apud nos geruntur, ex adiecta schedula quae nomen Memorabilium Freiberg. prae se fert, cognosces. Haec vero, quo tenuiora sunt et indigniora, eo impensius Te oro, atque rogo, ut nonnunquam ex tua rerum novarum affluentia aliquid ad me perferendum cures, quod Müllerus, bibliopola Lipsiensis, quo iam ad vendenda Acta schol. utor, lubentissime accipiet. Inprimis miro desiderio flagro legendi Dissert. Jenensis, quod inscribitur: [illegible] à Cunone bibliopola nuper promissum. Cui si adiungere velis vel Programmata vel alia Nova Scholastica, quae in tanto confluxu eruditorum quotidie audis, me mirifice tibi devincies. Selecta scholastica tantisper seposui continuanda, dum novus aliquis sese offerat bibliopola, qui excudendorum sumtus impendat. Quo nomine etiam Tibi ita commendo. Vale, Fautor exoptatissime, salutatisque S.V. Parentes, dilectissimo fratre, honoratissimo Struvio et Herzingio, me amare perge.

Dab. Freibergae d. XIX. Nov. MDCCXXXXVII.